

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

14 April 2014

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. The worldly wisdom of man's best friend (Poggio Bracciolini, *Facetiae*, 1438-52)

Erat sacerdos rusticanus in Tuscia admodum opulentus. Hic caniculum sibi carum, cum mortuus esset, sepelivit in coemeterio. Sensit hoc Episcopus, et, in eius pecuniam animum intendens, sacerdotem veluti maximi criminis reum ad se puniendum vocat. Sacerdos, qui animum Episcopi satis noverat, quinquaginta aureos secum deferens, ad Episcopum devenit. Qui sepulturam canis graviter accusans, iussit ad carceres sacerdotem duci. Hic vir sagax: 'O Pater,' inquit, 'si nosceres qua prudentia caniculus fuit, non mirareris si sepulturam inter homines meruit; fuit enim plus quam ingenio humano, tum in vita, tum praecipue in morte.' 'Quidnam hoc est?' ait Episcopus. 'Testamentum,' inquit sacerdos, 'in fine vitae condens, sciensque egestatem tuam, tibi quinquaginta aureos ex testamento reliquit, quos mecum tuli.' Tum Episcopus et testamentum et sepulturam comprobans, accepta pecunia, sacerdotem absolvit.

2. Henry I, *Charter of Liberties*

Anno incarnationis dominice M^oC^oT^o. Henricus filius Willelmi regis post obitum fratris sui Willelmi dei gratia rex Anglorum omnibus fidelibus salutem.

Sciatis me dei misericordia et communi consilio baronum totius regni Anglie eiusdem regni regem coronatum esse. Et quia regnum oppressum erat iniustis exactionibus, ego dei respectu et amore quem erga uos habeo, sanctam dei ecclesiam imprimis liberam facio, ita quod nec uendam nec ad firmam ponam nec mortuo archiepiscopo siue episcopo siue abbate aliquid accipiam de dominio ecclesie uel de hominibus eius donec successor in eam ingrediatur. Et omnes malas consuetudines quibus regnum Anglie iniuste opprimebatur inde aufero. Quas malas consuetudines ex parte hic pono.

Si quis baronum comitum meorum siue aliorum qui de me tenent mortuus fuerit, heres suus non redimet terram suam sicut faciebat tempore fratris mei, sed iusta et legitima releuatione releuabit eam. Similiter et homines baronum meorum iusta et legitima releuatione releuabunt terras suas de dominis suis.

3. Hrabanus Maurus on different kinds of Warfare

Primus bella instituit Ninus rex Assyriorum. Ipse enim finibus suis nequaquam contentus, humane societatis foedus irrumpens, exercitus ducere, aliena vastare, liberos populos aut trucidare, aut subicere coepit, universamque Asiam usque ad Libyae fines nova seruitute perdomuit. [...] Quatuor autem sunt genera bellorum: id est, iustum, iniustum, civile, et plusquam civile. Iustum bellum est, quod ex praedicto geritur de rebus repetitis, aut propulsandorum hostium causa. Iniustum bellum est, quod de furore, non de legitima ratione initur, de quo in Republica Cicero dicit: 'Illa iniusta bella sunt, quae sunt sine causa suscepta': nam extra ulciscendi aut propulsandorum hostium causam bellum geri iustum nullum potest. [...] Civile bellum est inter cives orta seditio et concitatio tumultus, sicut inter Syllam et Marium, qui bellum civile inuicem in una gente gesserunt. Plusquam civile bellum est, ubi non solum cives certant,

sed et cognati: quale actum est inter Caesarem et Pompeium, quando gener et socer invicem dimicaverunt: siquidem in hac pugna frater cum fratre dimicavit, et pater adversus filium arma portavit.

4. On the present state of the world according to the *Gesta Romanorum*

Fertur de quodam rege, cuius regnum in tam subitam devenit mutationem, quod bonum in malum, verum in falsum, forte in debile, iustum in iniustum est mutatum. Quam mutationem rex admirans a quattuor philosophis sapientissimis causam huius quaesivit. Qui inquam philosophi post sanam deliberationem ad quattuor portas civitatis pergentes, quilibet eorum tres causas ibidem scripsit. Primus scripsit: Potentia est iustitia, ideo terra sine lege; dies est nox, ideo terra sine via; fuga est pugna, ideo regnum sine honore. Secundus scripsit: Unus est duo, ideo regnum sine veritate; amicus est inimicus, ideo regnum sine fidelitate; malum est bonum, ideo terra sine pietate. Tertius scripsit: Ratio habet licentiam, ideo regnum sine nomine; fur est propositus, ideo regnum sine pecuniis; corrobola vult esse aquila, ideo nulla discretio in patria. Quartus scripsit: Voluntas est consiliarius, ideo terra male colitur; denarius dat iudicium seu sententiam, ideo terra male regitur; deus est mortuus, ideo totum regnum peccatoribus est repletum.